

1378 militum non parva in continentem exposita , ut pluribus locis hostem fatigaret . Ferunt levia peditum certamina per eos dies commissa , sed illa ipsa nulla memoria digna . Demum Victor longioris moræ impatiens urbem oppugnare aggreditur : sed conatus illi omnino irriti . Venetus non solum oppido non est potitus , sed ab Genuensisbus ( quorum vis ingens erat intra mœnia ) cum cæde est ad naves repulsus : cecidit eo certamine Lucas Valarelius , patricii sanguinis homo . Victor suo incœpto frustratus , quia jam commeatus defecerant , nec erat quod ab urbe rei frumentariæ inopia laborante quicquam speraret , soluta obsidione , ante Jaderam rursus confedit , urbemque assidendo magis sollicitabat , quam premebat . Misit præterea triremes decem ad explorandos Arbensem animos : qui Catarensum primo , inde Sicensium casu consternati ditionem fecere . Ad urbem præsidio tuendam Franciscinus Contarenus Prætor est missus . Audita Tragurinæ obsidionis solutione , confessim Patres quinque longas naves ad bellum instruunt , onerantque commeatu : inmandat ad hæc , ut Jaderam ad Pisanum cum publico decreto irent , qui primo quoque tempore Tragurium rediret , nec inde prius abscederet , quam naves quæ in portu essent , sive armis sive fame expugnasset . At Ligur post priorem illam expugnationem majore aliquanto studio quam antea portum communiverat ; quo accidit , ut hic quoque recentior conatus tam irritus sane fuerit , quam ille de quo ante diximus . Circumsedit classis in ancoris stans aliquot dies portum : sed fame simul ac frigore ( instabat enim jam hyems ) compulsus est Pisanus infecta re inde abscedere . Triremes in Histriam reductæ ; unde quum ad Patres Pisanus scripsisset , vellent juberentque se cum tota classe domum hybernatum redire , an potius foris esse ; placuit ob vicinum hostem ea hyeme classem domo abesse : quod certe non parum Reipublicæ obfuit . Milites & socii navales fame & frigore confecti , sine commeatu , qua cuique proximum fuit , diversi abeuntes , classem valde infrequentem reddidere : quidam etiam fame consumpti di-